





SPECIMEN PHILOSOPHICVM  
IN AVGVRALE  
DE  
**D V E L L O,**

QVOD  
EX DECRETO  
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE  
**FRIDERICO AVGVSTO WOLF,**

ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSORE PUBL. ORDIN.  
ET FACVLATATISP HILOSOPHICAE H. T. DECANO  
SPECTATISSIMO,

PRO  
SVMMIS IN PHILOSOPHIA ET AA. LL.  
HONORIBVS,  
ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AHASSVERVS DOYER,  
ZWOLLA · BATAVVS.

AD DIEM VIII. APRILIS MDCCCLXXXVI.

H. L. Q. S.

---

HALAE  
IN OFFICINA GRVNERTIANA.

SEBASTIEN PHILIPOTINUS  
HAGARAE

DAFFO.

AMBASSY ORIGINIS PHILIPOTINAE  
IN HOGA TERRITORIIS  
TRADIDIT

TRIDERICCO AGASATO HOGA

SYNOPSIS IN PHILIPOTINAE  
TERRITORIIS

VIRO MAXIME REVERENDO  
**H. O O S T E R B A A N ,**

IN GYMNASIO TELEOBAPTISTARVM AMSTELAEDAMENSIS  
THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE PROFESSORI,

ET

VIRO CELEBERRIMO  
**E. A. E B E R H A R D ,**

IN REGIA FRIDERICIANA  
PHILOSOPHIAE PROFESSORI PUBL. ORBIN.,

NEC NON

VIRO SVMME VENERANDO  
**A. H. N I E M E Y E R ,**

IN REGIA FRIDERICIANA THEOLOGIAE PROF. PUBL.  
ORDINAR., PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI  
CONDIRECTORI ET SEMINARII THEOLOGICI  
INSPECTORI

*Anunc disputationem grato animo*

D. D. D.

A U C T O R

**A. D O Y E R .**

VIRGO MAXIMA PRAECEPS

И А А Т Я О С Т О Н

IN QUMINIO PRAECEPS MAMMAM ALIMENTA VENIRE  
PHILOSOPHIA TE PHILOSOPHIA INSTRUIRE

VIRGO CEREBERRIMA

Е А Е Р Е Н А Я

IN RECO HEDRIGIANA  
PHILOSOPHIA INSTRUIRE TANT OPOIN.

ИДЕАЛ

VIRGO SUMME VENERANDO

И И Н И Е М У Е Р

IN RECO HEDRIGIANA TANT OPOIN.  
PHILOSOPHIA INSTRUIRE TANT OPOIN.  
CONSIDERATIONE TANT OPOIN.  
INSTRUCTIONE TANT OPOIN.

SPECIMEN PHILOSOPHICVM

IN AVGVRALE

DE

D V E L L O.

§. 1.

**D**e duellis in hac disputatione ita scribere a nobis est constitutum, ut, praemissa definitione, prima parte agamus de illorum origine et progressu; secunda probemus illa esse illicita, et cum juri civili, tum juri naturae et ethicae contraria; postrema tandem refellamus eos, qui duellorum patrocinium suscepserint.

§. 2.

Duellum est certamen duorum ex condicto et vulnerandi animo, ob injuriam privatam, armis suscepsum. Hac definitione duellum distinguitur partim ab illo certamine, quod Gallica voce vulgo *Rencontre* dicitur, quodque, utriusque licet fiat consensu, non tamen ex condicto instituitur, nulla data consultandi ac prae-meditandi mora. — Partim quoque ab iis digladiationibus, quas duo certantes ineunt exercitii gratia, vel quamlibet aliam ob causam, modo absit laedendi et vulnerandi animus. — Partim de-

A

nique

nique ab iis certaminibus, quae a veteribus haud raro instituta legimus publicae litis dirimendae sive belli finiendi causa.

Non ignoramus, fuisse hanc vocem quandam a Romanis alia significatione usurpatam, et magis latine dici *certamen singulare*: at-tamen, ut omnem evitemus in scribendo ambiguitatem, receptam vbiique vocem rejicere non fuimus ausi.

## PARS PRIMA

DE

### D V E L L O R V M   O R I G I N E E T P R O G R E S S V .

§. 3.

**S**unt qui duella veteribus cognita fuisse censeant. Sed in errore versari videntur. Non tantum enim apud historicos ea de-re altum est filetium, verum etiam apud illos, qui philosophiam moralem litteris mandarunt. Nullam enim illorum mentionem facit neque ARISTOTELES in Ethica ad Nicomachum, neque CICERO in libris de officiis, neque SENECA. Tandem quoque litigantes nunquam ad duella configuisse legimus. Unico illud exemplo probasse sufficiat. Primo statim Iliados libro narrat HOMERUS li-tem inter Agamemnonem et Achillem. Conviciis licet, dictieris et exprobationibus se invicem petant acerrimis, alter tamen alte-rum non provocat. Quod, nisi duella tunc temporis Graecis om-nino incognita fuisse statuamus, eo magis admirandum est, quod praef-

praecipua irae Achillis caussa erat formosa Briseis, quam valde  
amabant, quamque sibi petebat Agamemnon.

§. 4.

Qui contrarium statuunt, ad istiusmodi provocant exempla,  
quae nostram magis probant sententiam, quam suam. Huc referas  
exemplum Davidis et Goliathi *i. Sam. XVII.* — *Menelai et Paridis.*  
*HOMERI Iliad. III. v. 71* sqq. *Aeneae et Tauri* *VIRGILII Aeneid. XII.*  
*v. 75* sqq. — *Curiatorum et Horatiorum LIVII L. I. c. 23.* — Om-  
nibus autem his locis sermo est de certaminibus publicis, quae  
siebant, ut bella finirentur, utque sanguini multorum parceretur,  
icto saepe antea foedere, ut victi putarentur et haberentur, quos,  
qui succumberet, pugnando repreäsentasset. — Deinde quoque  
antiquitus duorum exercituum eorumque hostilium milites, se  
provocantes, singulari certamine cominus aliquando pugnarunt;  
quorum inter alia referendum putamus exemplum *Eurybatis*, qui,  
tribus istiusmodi certaminibus vitor, quarto tandem succubuit.  
*HERODOTI L. VI. c. 92.* Sed haec quoque certamina, quod faci-  
le videre est, non siebant ob injuriam privatam, sed in honorem  
et salutem patriae.

§. 5.

Quod si igitur veteribus incognita fuerunt duella, conse-  
quens est, illorum esse aliunde originem repetendam, et, siquidem  
id sequi velimus, quod maximam prae se fert probabilitatis  
speciem, hanc originem reperiamus necesse est in gente *Germana*,  
inlyra quondam, nunc quoque magis. Nam primum illorum  
mores, quorum nobis descriptionem reliquit elegans in primis  
historicus *TACITUS*, in libro *de moribus Germanorum*, ita erant com-

A 2

parati,

parati, ut facile duellis et ansam dederint et originem. Deinde quoque ii fuerunt Germani, qui post Romani imperii occidentalis interitum, fluminis instar ripas transcendentis, limumque deponentis eundo, paulatim uniuersam fere inundarunt Europam, populosque, quibuscum se miscuerunt, participes fecerunt **mo-**  
rum. Unum et alterum argumentis probabimus.

## §. 6.

Si qua gens moribus suis januam quasi duellis aperire dici possit, illa profecto est, quae semper incedat armata; fortis sit ac bellicosa; cui rixas dirimere gladio non sit insolitum; cui insuper criminale desit forum; superstitione adeo, ut posse Deum putet, tamquam oraculum, consuli, cum sortitionibus, tum quoque certamine singulare, illius caussam a Deo accipi censens, qui victor ex ejusmodi certamine discedat. Ita autem affectos fuisse mores Germanorum, luculenter nos loco citato docet **TACITUS**. *Nihil enim, inquit, neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt c. 13.* — *Cœunt certis diebus, cum aut inchoatur luna, eut impletur. Confidunt armati. Silentium per sacerdotes imperatur. Mox rex vel princeps audiuntur. Si placuit sententia, frameas (i. e. lanceas) concutunt. c. u.* — *Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia ingrata genti quiescunt. Nec arare terram, aut expectare fruges tam facile persuaderis, quam vocare hostes et vulnera mereri. Pigrum quis imo et tñers videtur, sudore acquirere, quod possit sanguine parare. c. 14.* — *Ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando, muliti probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae, raro conviciis, saepius caede et vulneribus transfiguntur. c. 22.* — *Nec animadvertere, neque vincere,*

cire, ne verberare quidem, nisi sacerdotibus commissum, non quasi in poe-  
nam, sed velut Deo imperante. c. 7. — Et, enarrato quomodo sortiri so-  
lerent, ita pergit: *Est et alia observatio auspiorum, qua gravium belli-  
rum eventus explorant.* *Eius genit, cum qua bellum est, captivum cum  
electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt.* *Victoria  
hujus vel illius pro praecjudicio accipitur.* c. 10. — Haec TACITUS, quae  
abunde indicare nobis videntur, mores Germanorum ad duella  
valde fuisse propensos. Hactenus de moribus Germanorum.

## §. 7.

Alterum est, ut argumentis demonstremus, Germanos post  
exitum seculi IV. omnem fere invalisse et occupasse Europam.  
Ne autem hic copiosiores simus quam par est, non anxie insingu-  
los populos inquirere liber. Probasse sufficiat, *Westgothos*, qui se-  
culo V. sibi subjecerunt Hispaniam, et *Francos*, qui eodem seculo  
occuparunt Galliam, a Germanis fuisse oriundos. *Saxones* enim,  
Heptarchiae in Anglia eodem et sequenti seculo auctores, fuisse  
Germanos, haud facile quis in dubium vocaverit.

Quod igitur ad *Gothos* attinet, qui sibi subjecerunt Hispani-  
am, plurima sunt argumenta, quae evincunt, origine illos fuisse  
Germanos. Et primo quidem lingua, qua utebantur Gothi, non  
obscure indicat, illos e Germania produisse aliquando; tanta est  
inter veterem linguam Germanicam et Gothicam similitudo. Il-  
lud enim nonmodo apparet ex notissima illa N. Testamenti versio-  
ne, quam nobis reliquit Gothorum Episcopus VEPHILAS,  
quae, quod litteras habet argento pictas, *codicis argentei* nomine  
magis etiam est celebrata; verum etiam ex hodierna lingua Hispa-  
nica, quae, vt ejus et Germanicae linguae periti uno ore conser-  
nit,

tiunt, plurimas habet Germanicae originis voces. — Idem deinde docet TACITVS de mor. Germ. C. 43. his verbis: *Trans Lygios Gothones regnant, paulo jam adductius, (i. e. regnant adductioribus habenis) quam caeterae Germanorum Gentes* — Tandem, ut alia veterum testimonia taceamus, vnum tantum PAVLI WARNEFRI DI in hist. Longobard. L. I. C. 1. addere libet: *Goti, inquit, Wandalique, nec non aliae feroce et barbarae nationes, ex Germania procederunt.*

Francos deinde Germanicae fuisse originis, vna satis probari potest celeberrima illa tabula PEUTINGERIANA, quae, regnante Imperatore Theodosio, delineata est atque picta. In hac tabula, quae exstat quoque in hujus Academiae Bibliotheca, in Germaniae parte Occidentali, haec sunt magnis litteris scripta verba: *Chauci, Ampsivarrii, Cherusci, Chamavi, qui et Franci.* Franci est vox generica, quae tanquam species complectitur Chaucos, Ampsivariorum, etc. Ergo Franci populus fuerunt Germaniae. — Huic assumptioni non est contrarium TACITI de Francis silentium. TACITVS enim tantum omisit vocem genericam, species autem utique recensuit, Chamavos, Chaucos, etc. de Mor. Germ. C. 33. 35. 36. — Plura argumenta habet Illustrissimus DE HERTZBERG in doctissima dissertatione: *Von der Ueberlegenheit der Deutschen gegen die Roemer etc.*

#### §. 8.

Quod reliquum est, paucis persequamur oportet primam duelli significationem. Quemadmodum enim id, quod Romani appellebant *nauem*, longe alia res erat, quam quod nos, si Latine loquimur, eadem voce insignimus, sic duellum olim non idem signi-

significabat, quod nunc. Dicendum scil. in initio nihil aliud erat, quam sortiendi genus quoddam. Sors enim est casus fortuitus, cuius incerto euentu componuntur lites. Ex hac definitione patet, quotquot fuerint casus euentus incerti, tot modis posse litigaciones ad sortem reuocari; deinde, idem igitur quoque posse certamine singulari, quoniam ejus euentus est incertus. Opinabantur vero etiam majores nostri, exitum certaminis ita a Numinе Dei dirigi, ut, qui esset in culpa, inferior discederet. Hanc fuisse veterum sententiam, sequentia docent. Primum enim hanc opinionem de specialissima Dei prouidentia, quae conspicua sit miraculis, apud omnes reperimus gentes barbaras et inpolitas; ergo et majores nostros illam habuisse verisimile est. Deinde narrat TACITVS, (l. c. C. 10.) sortitionibus non tantum vfos fuisse Germanos; verum etiam hoc ipsum sortiendi genus, ope certaminis singularis, illos adhibuisse, supra, in fine §. 6, ex eodem auctore probauimus. Tum quoque adeo erant Germani libertatis amantissimi, ut a nullo homine, sed a Deo tantum vellent judicari. Nec animaduertere, inquit TACITVS, (l. c. C. 7.) neque vincire, ne verberare quidem, nisi sacerdotibus commissum, non quasi in poenam, sed velut Deo imperante. Idem denique ex eo efficitur, quod deinceps referri solerent duella in numerum ordalium. Ordalia enim nihil aliud erant, nisi varia sortiendi genera, quibus rogabatur judicium Dei.

Obiter hic animaduertendum est, vocem *Ordalia* nouum esse indicium, duellorum originem esse a Germanis repetendam. Ordalia enim est a voce Germanica *Urtheil*, quod *judicium* significat.

For-

Forte maiores nostri dixerunt *Ordel*, quia lingua Belgica etiam nunc dicitur *Oordel*.

Liceat et hoc addere, hanc majorum opinionem verisimili-  
ter ansam praebuisse, cur tanto opprobrio tantaque contumelia affecti sint illi, qui oblatum duellum accepturos se negarent. Eo ipso enim declarabant, quod nollent se subjecere judicio diuino, quamobrem tanquam impii non exiguo dedecore digni habebantur.

Non diffiteor, simili quoque modo saepe comparata fuisse certamina singularia Graecorum Romanorumque; sed ista non ad nos peruererunt, quocirca duellorum origo non est ab iis reperienda.

Hactenus de *origine*. Nunc dicemus de *progressu* duellorum.

§. 9.

In initio quidem non adeo frequentia erant duella; sed progressu demum temporis aucta sunt et valde multiplicata. Et variae quidem hujus sunt progressus caussae, quarum praecipuas ordine hic recensere conabimur.

Et primam quidem multiplicationis duellorum caussam ea dederunt exempla, quibus noxiis, etiam si esset viribus superior, inferior tamen ex duello discederet. Nec raro factum hoc esse constat. Quod autem mirum nemini videbitur, qui animo perpendiculariter, quantum roboris et virium recta possit conscientia addere, mala contra quantum detrahere.

§. 10.

Augebantur quoque duella, postquam non tantum legibus scriptis erant permissa, verum iisdem etiam aliquando iussa et prae-

praescripta. Quod primis jam temporibus factum esse legimus. **GUNDÉBALD** enim, licet sapientissimus et prudentissimus sui temporis esset Longobardorum rex, legibus tamen Burgundicis, quas exeunte fere seculo v. conscribi jussit, expressis verbis jurandi loco permisit duellum. vid. I. **BASNAGE** *dissertation historique sur les duels et les ordres de Chevalerie* C. 4. §. 8. et M. L. SCHMIDT *Geschichte der Deutschen* L. II. C. 1. Codice quoque salico, qui, eodem SCHMIDTIO auctore, L. II. C. 8. anno fere post Christum 422. scriptus est, atque mutatus deinde, ut cum praeceptis religionis Christianae magis consentiret, ab Ostgothorum rege THEODORICO; hoc, inquam, codice non solum licita erant duella, verum quibusdam etiam casibus expresse jussa mandataque. **BASNAGE** l. c., negante quidem SCHMIDTIO, qui tamen refert, Francos, quibus erant hae leges latae, hand diu post duella quoque a Burgundis accepisse. L. II. C. 8.

## §. 11.

Sed non modo lege civili permittebantur duella, verum etiam lege ecclesiastica. Episcopus enim Romanus **NICOLAVS** I., quamquam antea clericorum nonnulli et concilium quoque Valentia a. 855. certaminibus singularibus sese opposuissent, anno tamen 858. duella justa et licita fore declarauit, quippe quae permissa essent legibus Salicis et Gomberticis, i.e. Burgundicis. **BASNAGE** C. 4. §. 9. Et, licet concilia majora haud permisisset duella nouerim, non ita tamen fecerunt minora, quod unico tantum exemplo probasse sufficiat. In concilio, a. 1002. Selingostadii habitum, constitutum est, si maritus vel vxor adulterii esset accusatus, et si alterius duellum peteret, ut ipsi permitteretur. Ibid. C. X. §. 9.

## B

## §. 12.

Hoc cum fecerit ecclesiae caput, vel conjectura prospici et a priori, ut dicitur, poterit, quid auferint, quidque praefiterint ecclesiae membra, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, caeterique. Longa igitur demonstratio superuacanea foret. Provocare tantum liber ad leges, quas concessit et scripsit Wormatiensis ecclesiae Episcopus BVRCHARDVS. In his legibus et haec reperiuntur verba: *si quis ex familia contendenterit cum socio suo de unaquilibet re, et si testimonii lis discerni nequeat, volumus: ut duo elegantur ad pugnam et cum duello item decernant Codex Probation. n.LI. p. 48.* — Et Monachi aliam quoque ob caussam hanc superstitionis opinionem non modo non eradicarunt, sed firmiter etiam hominum animis inprimere studuerunt. Hi scil., divitarum amantissimi, callide hanc rem in lucrum suum conuertere nouerant. Etenim duello concertaturi, ex illorum praeceptis, nocte ea, quae fatali diem praecedenter, in templo precari, peccata confiteri et sacramentum accipere solebant, quod non sine fructu, qui clero redibat, factum fuisse putandum est.

Haud parum quoque incrementi duellorum dira cepit libido ex ordinibus Equitum, qui valde augeri sociatesque inire cum maxime coeperunt Seculo XII. in Palaestina, tempore et occasione expeditionum cruciarum. Videntur quidem sub initio instituta horum ordinum, quae aliorum tantum salutem atque utilitatem spectabant, satis pura et sincera mansisse. Ita obligatione tenebantur equites, vi et armis religionem Christianam, viduas orphanosque defendendi, viasque publicas immunes reddendi a

prae-

praedonibus, qui peregrinantibus in terram sanctam essent molesti. Sed progressu deinde temporis, primis his derelictis institutis, secuti sunt alia, quae reddiderunt equitum animos ad duella propensiores. Quod abunde videre est ex ritibus, qui sequenti jam seculo instituebantur, quando quis eques crearetur. Initandus enim ictu perebatur, hisce additis verbis: *et hoc ictus ultimus, quem patienter feras.* Hunc aliasque ritus, qui observabantur in creandis equitibus, scripsit jam a. 1260. DARIUS, professor in Academia Bononiensi. vid. quoque BAS N. c. X. §. 2.

## §. 14.

Sed haud scio, an quid magis contulerit ad duellorum numerum augendum, quam quod ipsi medii aevi professores publice in academiis duella defendere ausi sint. Tunc temporis enim haud raro in cathedris academiarum, in primis Italicarum exponebatur *scientia*, ita dicta, *cavalleresca*, qua anxie et subtiliter inquirebatur in has et similes quaestiones: *quis esset vitor in duello, quo alter nascim, alter oculum amississet; quomodo honori ejus consuleretur, qui inter provocationem et duellum diem forte obiisset;* et quae sunt hujus generis aliae, quas habet BASNAGIUS c. X. §. 4 sqq. Tales cum essent praceptoribus, quales fuerint discipuli, quorum animis adamata haec disciplina tanta auctoritate instillabatur, haud difficile intelligitur. Praeclare profecto de juvene dixit HORATIUS, quod sit *cereus in vitium flecti.* Tunc flamas in studiosorum animis accensas putemus, quae ad hunc usque diem extinguntur frustra.

## B 2

## §. 15.

Cum hic in tradendis causis versamur, quibus latius iudicis serpserit in animos duellorum pestis, non omittenda quoque est ea, quae dicitur ab exemplo virorum illustrium et in auctoritate consitorum, quorum mores et viuendi rationem non impigre imitantur omnes, ut est in proverbio: *regis ad exemplum totus compunitur orbis.* Multa enim nobis exhibit historia exempla, comites, duces, quin ipsos reges duella iniisse. Etenim, ut alia omittamus, omnibus historicis est notissimum, imperatorem CAROLUM V. ad duellum provocasse Galliae regem FRANCISCUM I, quod hic, secus quam promiserat, ducatum Burgundiae illi tradere omisisset. Sed non solum principes, verum etiam monachos duellorum non puduit; monachos, qui, dum prauos aliorum mores corrigerent, bonos exemplo suo corruerunt. Horum frequentia duella occasionem dederunt huic decreto ALEXANDRI III, qui a 1159. est pontifex factus: *si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatum suscepit, deponendus.* Addit tamen, ne severior videretur: *sed misericorditer episcopus cum eo dispensare poterit.* Decret. Greg. L. V. tit. 14.

## §. 16.

Possunt quoque hoc referri omnes illae causae, quibus fuit effectum, ut amor et libido armorum facinorumque, proinde et duellorum, in hominum animis excitarentur. Harum causarum quatuor potissimum hic exponemus.

Prima est istius aevi educatio. Patres assidue filii narrabant suas et majorum res gestas, duellis, ut verisimile est, nequaquam omissis. Quantum in duellorum admirationem, amorem, imitationem.

tionemque rapuerint hi sermones tenerum cereumque puerilis aetatis animum, dicere est supervacaneum.

Altera est *fabulae*, quae dicuntur, *Romanenses*, quarum origo a seculo fere XII. est repetenda. His nimurum fabulis exponebantur praecipue facta heroum periculosa, et haud raro miraculosa, qui pugnaverint, quique vicerint alias heroes, gigantes, bestias, monstra. Quae cum a plerisque tunc temporis et legerentur et laudarentur, vix aliter potuit, quin ad imitationem proplerint fervidum et gloriae cupidum juventutis animum.

Tertia est solennitas, qua publice olim juvenibus indui solebant arma, quae non minus desiderabantur a juvenibus Germanorum, quam ab Romanorum toga. Vetus hic mos erat, cuius jam mentionem facit *TACITUS* de mor. Germ. c. XIII. *Arma sumere, inquit, non ante cuiquam moris, quam ciuitas sufficietur probaverit.* Tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque juvenem ornant, *Hic primus juvenae honor.*

Quarta denique caufsa est certamina equitum ludicra, quae *Torneamenta* vulgo appellantur. In initio haec certamina siebant, ne dediscerent equites belli peritiam, adhibitis lanceis non ferro obductis, gladiis non acutis. Sed progressu temporis haec omnia in pejus mutari, armaque adhiberi nocentia, quin imo laetifica. Splendidissime instituebantur hi ludi et magnis sumtibus, iisque ad admirationem omnes alliciebantur spectatores. Quanta enim cum admiratione haec spectacula visa sint, docere poterit *AENEAS SYLVIUS*, qui postea p<sup>ii</sup> II. nomine fedem Romanam occupauit, in libro de mor. Germ. pag. 1058 operum. *Stupenda, inquit, res est, ac fere incredibilis, quanta peritia est equos regere,*

re, flectere atque in gyrum ducere, quanta sagittandi ars, quantus lancearum usus, quae clypearum agilitas, quae stringendi versandique gladiorum scientia.

## §. 17.

Verbo tandem est dicendum de Feudis et de jure manuario, quibus, siquidem non auctam, servatam tamen armorum duellorumque putamus consuetudinem.

Et vasalli quidem, feudorum domini utiles, qui, licet sub Carolo demum simplici, hoc nomine appellari coeperint, revera tamen diu ante existisse habendi sunt; (SCHMIDT L. I. c. 12.) vasalli, inquam, non tantum erant obligati dominis suis, simulac erat necesse, armis et viribus praestos esse, verum etiam ipsa feuda ab omnibus aggressoribus et molestatoribus liberare tenebantur. Vnde factum est, cum hi perpetuo sere in armis et bellis essent, ut animum militarem et dimicandi libidinem, quae erat inter homines, cum servaverint, tum etiam latius indies propagavint.

Quod vero ad jus manuarium attinet, animaduertendum est, medii aevi nobiles atque equites fora ac judicia, in quae vocarent alios, neque agnovisse, neque habuisse, sed vnumquemque injuriam sibi illatam propria vindicasse manu. Hoc sibi licere censebant dicebantque ex jure manuario, quia puto sibi illatas injurias propria manu vlciscebantur. Hoc ergo jus necessario multis duellis ansam dedisse, nemo non videt. Sed sequenti deinde tempore, abutentes hoc jure, quaevis quoque latrocinia impune sibi permissa esse, et verbis et re ipsa declarabant. Germani et Alemanni, inquit POGGIUS, scriptor Italus (in libro de Imper. Rom L. II.

c. 12.)

c. 12.) eos, qui procul urbibus, aut qui castellis et oppidulis dominantur, quorum magna pars latrocino deditur, Nobiles censent. Vnde iterum fuit effectum, ut obligatione tenerentur fere omnes armorum peritiae incumbendi, alii se defendendi, alii aggrediendi caussa et consilio. Ab armorum autem peritia ad duella quam facilis fit transitus et gliscens, plusquam satis experientia quotidie docet.

§. 18.

Expositis caussis, quibus latius serperit dira duellorum libido, restat, ut verbo dicamus, quae fuerint caussae, quibus sit imminutum hoc malum, quaeque fuerint quasi medicinae, quibus animi hic morbus quodammodo faltem sit sanatus. Nam medii aevi seculis duellorum cupidinem altius hominum animis inhaesisse, quam nunc, ex iis, quae hactenus disputavimus, facile efficitur.

Et praecipua quidem caussa, qua, si non penitus extirpata, valde tamen est imminuta duellorum cupidio, benignior est Philosophiae lux, quae, per multa secula fere extincta, tandem dupli potissimum de caussa coepit elucere. Altera est Typographiae inuentio circa annum 1450, vnde primum factum est, ut librorum exemplaria et valde multiplicarentur, et minori pretio venderentur; deinde autem, ut frequentius et a pluribus legerentur. Altera vero caussa est expugnatio Constantinopolis a. 1453, a Turcarum Imperatore Mohammedo II. Qua urbe capta non diu viri docti, qui ibi degerant, manserunt; nihil quippe fauoris praesidiisque in barbaris Turcis inuenerunt litterae. Petierunt itaque Italiam; et primum Italos, a quibus humaniter excipiebantur, sua imbuerunt doctrina, in primis autem notitia linguae Graecae,

et

et simul cum ea litterarum quoque Graecarum amore; deinde vero purior haec ex Graecis hausta philosophia transit per omnem Europam occidentalem. — Ambae hae causae, si non immediate, mediate tamen vehementissime se opposuerunt duellis, et magna vi vltiorem illorum progressum inhibuerunt; eo quidem successu, vt, quamquam non radicitus extirpata, mirum tamen quantum sint inaminuta.

Et primo quidem jus illud manuarium ab Imperatore Maximiliano I, comitiis Wormatiensibus, a. 1495. est abrogatum. vid. SCHMIDT L. VII. c. 27. — Deinde vero, quod diu erat desideratum, a Lutherio tandem et Zwinglio circa annum 1520. ecclesia in capite et membris est mutata; fraus clericorum infatibilisque illorum avaritia et regnandi cupidio detecta; ordalia sublata. — Pontifices quoque Romani non injuste, sed severo tamen, in duellantibus animaduertere, illosque excommunicare coeperunt; in primis Papa IULIUS II. a 1505. et magis etiam ejus successor LEO X a. 1519. vid. septem. decret. L. V. tit. 17. *de duello*. — A. 1668. tandem Imperator LEOPOLDUS in Germania, et LUDOVICUS XIV. in Gallia per omne imperium et regnum interdixerunt duella; quorum exempla cum caeteri Europae principes secuti sunt, tum in primis quoque Elector Brandenburgiae FRIDERICUS III. nobilissimo edicto a 1688, quod semel atque iterum deinceps est renouatum, praecipue vero a FRIDERICO II, nunc maxima cum laude et gloria regnante.

Hactenus de duellorum origine et progressu.

Pars

## P A R S   S E C V N D A

D E

R A T I O N E   D V E L L O R V M  
A D   L E G E S.

§. 19.

Exigit ordo, quem §. 1. nobis proposuimus, vt secunda hac parte ostendamus, duella cum juri posituo, tum juri naturae et ethicæ esse contraria. Cum autem nemo dubitat, quin jure positivo interdicta sint duella, cum quoque de eo, quantum fere fas, §. praecedenti diximus, cum denique in sequentibus ea de re dicendi redibit occasio; hoc tantum loco argumentis probare conabimur, duella principiis juris naturae et ethices esse incongrua.

§. 20.

Vt autem melius intelligatur, quid efficere et probare velimus, ante nobis erit constituendam, quæ sit differentia inter *jus naturae* et *ethicam*. Eo autem vt plana via perueniamus, a definitione *obligationis* et *juris* ordiamur oportet. — Et obligatio quidem est necessitas moralis. Opponitur necessitat<sup>is</sup> physicae sive coactioni. Ex. gr. qui aliquem vi protrudit, is illum necessitat<sup>is</sup> physice; qui autem argumentis et motivis eo alium perducit, vt libere progrediatur, is illum necessitat<sup>is</sup> moraliter, i. e. *obligat*. — Ius vero est facultas agendi moralis, i. e. facultas quiduis agendi, modo non obstat impedimentum physicum vel morale. Ita cuilibet jus est ambulandi in foro; si autem magistratus vetaret, jus

C

illud

illud euanesceret. — Ius porro est vel *externum* vel *internum*; *externum* est, quod coniunctam habet facultatem cogendi et vi abigendi vnumquemque, qui exercitium istius juris impedit; si minus, *internum*. Eademque ratione est obligatio vel externa vel interna. Diues ex. gr. non externe obligatus est, ut stipem det pauperi, nec mendico externum jus competit stipem rogandi, adeo ut diuitem, qui dare nolit, possit cogere. — Caeterum obligatio et jus *externum* et *internum* ab aliis dicitur quoque *perfectum* et *imperfectum*. — His ante stabilitis nou erit difficile intellectu, quodnam sit discrimen inter jus naturae et ethicam. Nimirum jus naturae est scientia jurium et obligationum naturalium *perfectarum*, ethica vero *imperfectarum*.

## §. 21.

His praemissis demonstrare nunc conabimur, duella esse contra principia juris naturae; et primo quidem probabimus, duellantes non seruare pactum. Namque omnes ciues *pactum subiectiōnis* inierunt cum summo imperante, si non diserte et expresse, tacite saltem. Quippe eo ipso, quod ex ciuitate non egrediantur, consensum suum sufficienter declarant manifestantque. Vi autem hujus pacti ciues obligati sunt ad obedientiam praestandam summo imperanti. Cum autem huic duellantum nec unus nec alter obediens est, consequitur, neutrum seruare pactum.

## §. 22.

Deinde duellantes injuria afficiunt summum imperantem. Is enim alterum injuria afficit, qui, nisi versetur in iusta ignorantia, ejus jus violat, i. e. qui illud jus, quod habet alter, re vel verbis non agnoscit. Debitor ex. gr. creditorem injuria afficit, si, quamquam

quam soluendo est, debitum tamen soluere nolit. Duellantes autem jus summi imperantis violant. Duellantum enim alter est prouocans, alter prouocatus. Et prouocans quidem jus sibi arrogat, item, quam habet cum altero, ipse decidendi, atque injuriam, quam sibi putat illatam, ipse vindicandi. Prouocatus vero, si prouocationem accipiat, eo ipso ostendit declaratque, haec jura esse penes prouocantem. Ambo autem haec jura in statu ciuili sunt penes summum imperantem solum, siue, quod eodem reddit, penes judices, qui ejus nomine et iussu jurisdictionem exerceant. Summo enim imperanti tranquillitas publica est commissa, ergo et illi competit jurisdictione et jus puniendi delicta. Nam sine hoc illud, i. e. tranquillitas publica, effici nequit, quod §. sequenti ostendemus. Ergo penes summum imperantem est jurisdictione et jus puniendi; haec autem jura cum duellantes violent, consequens est, duellantes injuria afficere summum imperantem. Quamobrem verissime FR. BACO (in Sermon. Fidel. XV. de seditionibus et turbis) cum discordiae, inquit, et duella palam et audacter se ostentant, indicio est, reuerentiam erga principem exiū.

## §. 23.

Porro qui duella ineunt turbant tranquillitatem publicam. Tranquillitas enim est status ab omni metu injuriarum vacuus. Quocirca, qui in societate ciuili aliis metu injuriarum incutiunt, turbant tranquillitatem ciuium. Hoc autem faciunt duellantes. Etenim, posita republica, vbi duella essent licita, primo leuissima quaeque injuria duello, i. e., si non morte, mortis saltem periculo plecteretur; quod quam sit injustum quisque videt. — Deinde eadem poena afficerentur diuersa delicta. Non aliter pu-

niretur, qui colaphum alicui infregisset; quam qui alterum stultitiae accusasset. — Porro innocentes saepe poenas subirent, quia haud raro fieret, ut, ira, inuidia aliisque animi perturbationibus commotus, se putaret injuria affectum, qui reuera nullam esset injuriam passus. Verissime igitur est apud CICERONEM: (de off. I. 25.) *nunquam, iratus qui accedit ad poenam, medioeritatem illum tenebit, quae est inter nimium et parum.* — Tandem, ut alia tacceamus, impune laederet, posset saltē, qui viribus et armorum dexteritate reliquis antecelleret. Ex his igitur cum satis superque patet, non posse ciues in societate ciuili, vbi essent duella licita, sine injuriarum metu, i. e. tranquille viuere, sequitur, eos, qui duella ineunt, turbare tranquillitatem publicam.

Tandem abutuntur quoque gladio in damnum aliorum et prouocans et prouocatus. Arma enim nulla alia conditione ciubus permitti atque concedi possunt, quam ut iis patriam suam defendant, vel corpus suum, vel quamlibet aliam ob caussam; nequaquam vero eo consilio, ut ciuis ciuem vulneret, mutilet vel interficiat. Illud autem efficere student duellant; ergo abutuntur gladio in aliorum damnum ac detrimentum.

Atque haec sunt fere ea argumenta, quibus jus naturae opugnat duella.

#### §. 24.

Iam vero demonstrandum est, et *imperfecte* nos obligatos esse ad duella omittenda. Pauca tamen praemoneamus oportet de obligationibus siue officiis imperfectis. Officia perfecta, ut supra a nobis dictum est, ita comparata sunt, ut, si ab iis discedamus, alteri jus competat nos cogendi, ut ad ea reuertamur. Re-

liqua

liqua vero officia ita affecta sunt, ut, si quis ea deferat, non possit vi compelli, ut ad ea redeat. Hoc genus officiorum dicitur imperfectum, non quod, si per se spectentur, revera imperfecta sint, sed respectu tantum officiorum perfectorum, ut ab iis distinguantur, et quia alteri jus debet nos cogendi. Falso igitur hac ratione concluderetur: ab omni imperfectione est discedendum, ergo ab officiis imperfectis est discedendum, quia sunt imperfecta. Nam vere haec officia nos obligant, sed motivis tantum internis, quae autem tantam habent vim, ut vir bonus et generosi animi in servandis officiis suis his magis ducatur motivis quam illis, i. e. externis. Et major quoque eum, qui officia servat imperfecta sequitur laus, quam qui perfecta; quia ille non potest praesumi ea servasse metu tantum poenarum. Majorem enim laudem meretur, qui pauperibus subvenit, quam qui creditoribus solvit.

§. 25.

Sed revertamur in viam. Et primo quidem animos a duellis deslectat oportet haec cogitatio, causam et originem duellorum, ut in antecedentibus notatum est, nihil aliud fuisse, nisi opinionem superstitionis. Majores enim nostri putarunt, duella ita a numine divino dirigi, ut semper noxiis inferior ex duello evaderet, innocens autem superior. Haec autem opinantes in maximo versabantur errore. Namque primo experientia saepe contrarium docuit. Haud raro enim factum est, ut uterque in duello vitam finiverit; saepe quoque, ut noxii fuerint victores. Deinde vero, ut alia argumenta silentio transeamus, nequidem potest Deus probare duella; etenim improbat ea in jure naturae. Itaque sibi ipse Deus contradiceret, si auctoritate sua comproba-

C 3

ret



ret duella. Obligationes enim et iura, quae complectitur jus naturae, omnia hausta sunt ex rerum natura, cuius auctor est Deus. Ergo leges, quas fert jus naturae, ipsum tulisse Deum animum inducamus oportet. Quare, cum superstitione innitantur duella, fas est, ut simul cum superstitione deponamus quoque ipsa duella. Quemadmodum et reliqua ordalia, nimirum experimenta per aquam, per ignem, etc., quae ex eodem promonarunt fonte, diu jam esse desierunt. Quod si enim neglexerimus, iis nos praebemus similes, qui monachi fiunt, etiam si bene intelligent, vitam monasticam Deo esse ingrataam. Ita enim agentes efficiemus, ut in doctioribus hoc oriatur de nobis judicium; *homines sunt tardi ingenii, imbecillae mentis*, et quae sunt hujus generis alia.

## §. 26.

Provocans deinde consilium sive propositum suum partim non consequitur, partim ad illud asequendum ineptis vtitur mediis. Triplex potissimum sibi proponit consilium, quod paucis explorabimus.

Et primum quidem duello impeditre conatur, ne denuo injuria afficiatur, nec ab eo, a quo se putet injuria affectum, nec ab aliis, qui forte illius exemplum sequentur, si patienter injuriam tulissent. Verum enim vero etsi sumamus, posse duello provocatum aliosque eo compelli, ut in posterum desinant provocantem injuria afficere, certissimum tamen est, idem effici quoque posse ope et auxilio magistratus sive judicis civilis. Hoc tantum est discrimen, quod haec ratio praecavendi injurias sit licita illa vero illicita; quodque haec fiat sine periculo ejus, qui se putet injuria affectum, illa vero cum maximo ejus, imo cum vitae periculo.

De-

Dein aliis persuadere conatur, se non esse eum, qui ex alterius calumnia videri possit. Hoc autem dum sperat duello perficere vehementer errat. Etenim non adeo ratione caret vulgus, vt ita concludat: *provocavit hic alterum ad duellum, ergo non is est, quem alter illum esse dixit.* Duellum enim inire potest pessimus quisque, sed eo honorem suum restituere nunquam poterit. Contra plerique (et saepe non immerito) ita conjiciunt: *hic alterum provocat ad duellum, non ad judicem, metuens, ne coram judge causa sua cadat.* Optima vero et certissima via, qua quis demonstret, se non esse eum, qui putatur, est ea, vt constanter se contrarium ostendat, i. e. si accusetur injuryae, vt semper juste agat; si avaritiae, vt semper liberalem beneficiumque se praebeat; et ita in reliquis.

Tandem mereri studet laudem fortitudinis et admirationem, et dígito monstrari: *hic est, qui ad duellum provocare alterum est ausus.* Laudantur certe a nonnullis, sed tantum vel a malis vel ab imperitis. (Ratio infra afferetur §. 50.) Hujusmodi autem laudis honestum quemque puderet. Qui enim horum tantum laudem comparare studet neglecta comprobatione sapientum, profecto is nihil magnae rei unquam perficiet; *qui que, ut verissime dixit CICERO Off. I. 19. ex errore imperitaq. multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendur.* Sapientes enim peritiioresque non possunt non contemnere duella, neque possunt laudare fortitudinem certantium. Etenim non fortitudo, sed temeritas est et audacia. §. 27. Deinde et hanc ob causam contemtum non laudem meretur provocans, quod opinatam hanc laudem nullo alio modo consequi potest, quam cum periculo vitae alterius, ejusque innoxii, quandoquidem laus sit vnica duelli ratio. Et tunc profecto pejus facit,

cit; quam fenerator, qui illicitis usuris nomen divitis sibi compara-re studet. Ergo non potest sapiens non improbare duella.

## §. 27.

Duellans non fortis est, sed temerarius. Vir fortis enim is-  
est, qui non timet ea subire pericula, quae subire est obligatus;  
temerarius vero, qui ea subit pericula, quae fugere est obligatus.  
Ergo duellans non fortis, sed temerarius est. Ultero enim et con-  
tra officium (vt supra §. 21. lqq. argumentis demonstravimus)  
maximis se objicit periculis. Ergo, vt dixi, duellans est temera-  
rius. CICERO forte stultum illum appellavisset. Fugendum enim  
illud, inquit, (Off. I. 24.) ne offeramus nos periculis sine causa, quo ni-  
hil potest esse stultius.

## §. 28.

Propterea quoque evitanda sunt duella, quod ita plerumque  
mores eorum, qui iis se dederint, afficiant, vt familiari consuetu-  
dini prorsus sint inepti, praecipue si feliciter pugnaverint; adeo  
vt iis sine multis incommodis periculisque familiariter vi nequeas.  
Hinc quoque, vt arbōr ex fructu, sic hi fere ex familiaribus suis  
cognoscuntur. In nonnullis enim tantus oritur armorum duello-  
rumque amor, vt ipsi fateantur, se non posse beatē vivere, nisi  
interdum ineat duella. Quamobrem et hi solent lites quaerere,  
iisque ipsi saepe ansam et occasionem praebere, vt habeant ali-  
quem, quicum pugnare possint. — Alii tam subtilem habent sen-  
sum honoris, (ita enim loquuntur) vt omnino conticescere debe-  
as, nisi illos offendere velis. Ergo in fine hujus §. paucis dicam,  
quid sit honor, quaque ille via comparetur. — Alii tandem a-  
mant imperium exercere in familiares suos, adeo vt omnia e nutu  
suo

suo fiant oporteat; sin minus, ad arma! Atque hanc caussam esse arbitror, cur eveniat, vt saepe duello amici amicis necem affrant.

Honor est cognitio virtutum nostrarum, non quatenus haec cognitio est in nobis, sed quatenus illa est in aliis. Quo maiores sunt hae virtutes, et quo pluribus cognitae, eo quoque major est honor. Haec definitio luculenter docet, quid sit faciendum, si honorati esse velimus. Nimurum virtutes comparemus necesse est. Sine virtutibus enim nulla quoque illarum potest esse cognitio. Solae igitur virtutes viam sternunt, quae dicit ad honorem, adeo ut sine iis haec via sit praeclusa. Qua propter egregie dixit CICERO: (*Tusc. Quaest. I. 45.*) *honor virtutem tanquam umbra sequitur.* Praeclare quoque et solerter idem ostendit Marcellus, qui, vt refert PLUTARCHUS, duo aedificavit templa, alterum virtuti, honori alterum, ita ambo conjuncta, vt nemo posset ingressi templum honoris, quin ante pertransiisset virtutis. Quocirca vehementer errant, qui jurgiis, provocationibus et duellis honorem comparare student. Namque haec viria sunt; et, quemadmodum virtutes ducunt ad honorem, sic vitia contra ad opprobrium.

§. 29.

Duella quoque omittamus oportet, ne alii nostrum imitantur exemplum. Etenim, quo quis altiori loco natus est, eo magis exemplo suo nocet. Ita enim comparati sunt homines, vt minus videant querantque, quid justum sit ac honestum, quam quid facere soleant, qui bonis parentibus ac honesto loco nati sint. Non igitur tantum est malum, si illustriores ineant duella, (quamquam

D

est

est magnum hoc per se ipsum malum) quam illud, quod permuli imitatores existant. Corrumptuntur ipsi et corrumpunt alios. Supra (§. 15.) iis a nobis exempla annumerata sunt caussis, quibus in immensum multiplicata sunt duella. Si igitur duella illicita sunt, ut profecto sunt, quidni omnibus viribus, adeoque et exemplo nostro, iis obstatre conemur.

## §. 30.

Primum principium omnis philosophiae moralis est, *perfice te ipsum*, quia nos ita creavit Deus, ut nihil aliud velle possumus, quam quod suspicamur nobis profuturum. Duellans vero non iis vtitur mediis, quae perfectionem ipsius promovent, sed quae illi nocent. Quippe duellans sine ratione sufficienti (§. 26.) in gravissima se conjicit pericula. Namque ne ille quidem, qui armorum est peritissimus, semper vitae suae consulere potest. Saepe enim factum est, ut ipsi armorum magistri duello vitam finirent. — Et, si quoque vitam non amittant, haud raro tamen vel mutilato, vel saltē vulnerato corpore ex duello redeunt. — Sed victus non tantum vitae facit jacturam; verum ipse quoque viator, si alterum interficerit, in maximo versatur vitae periculo. Nam, nisi turpi fuga leges deseruerit, vel nisi summi imperantis singulari benevolentia et gratia poena fuerit remissa, non minus mortem, eamque turpissimam et ignominiosam, effugiet, quam quilibet alias homicida. — Denique, si vterque salvus et incolmis ex duello discedat, eae tamen et provocantem et provocatum manent poenae, quibus magna pars felicitatis tollitur. — Si vero tandem turpi fuga vitam servaverit, patria vivet extorris, orbatus

tus

tus reipublicae muneribus, quibus forte functus fuerit ante, a missis quoque cognatis et amicis, sine quibus vita mors est.

§. 31.

Contra idem principium et alio modo peccat duellans, eo scil., quod aliorum perfectionem felicitatemque ne quidem non promoveat, sed vel ei obstat. Hoc enim principium, *perfice te ipsum*, exigit a nobis, ut et aliorum perfectioni consulamus; adeo ut non possimus aliorum perfectionem negligere, quin simul negligamus et nostram. Ita enim ratio concludit. Qui consilio et data opera, nulla obstante lege, aliis prodest, bene agit, i. e. bonam edit actionem. Qui repeatit bonam actionem, in eo oritur bonarum actionum habitus. Quoniam igitur bonarum actionum habitus sit virtus, sequitur, benefaciendo aliis in nobis oriri virtutes. Ergo qui prodest aliis, se ipsum perfectiorem reddit. Qui ex gr. saepe beneficus est erga alios, in eo oritur habitus beneficii alios afficiendi, i. e. in eo oritur virtus, quae dicitur *beneficentia*. Quocirca, qui beneficium se praestat erga alios, perficit se ipse. Eademque ratione efficitur, qui nocet perfectioni alterius, eundem et sui perfectioni nocere; quia inde nascuntur vitia, quae nos imperfectiores reddunt. — Duellans igitur contra hoc principium, *perfice te ipsum*, peccat, propterea, quia magnum sibi creat periculum alios infelices reddendi; et primo quidem, si ipsi male successerit duellum, cognatos et amicos suos; deinde, si adversario, et ipsum adversarium, intimum saepe amicum suum, (§. 28.) et omnes eos, quibus iste, si sit imperfectus, fuerit carus. Vnde tantus saepe oritur angor et cruciatus conscientiae, ut haud raro, quoniam ferendo non est, ipse sibi mortem consci-  
f. 2

cat.



cat. Sin vero minus manus sibi inferat, plerumque tamen conscientiae hi morsus perdurant ad ultimum usque vitae halitum; quin etiam, appropinquante morte, ubi caeterae corporis vires sensim evanescunt cessantque, hi contra cruciatus, etiam si tempore paululum sopiti, nunc denuo expergesfacti novis etiam viribus adsunt; quibus tandem sub cruciatibus, miser miseram deponit vitam.

Et haec sunt argumenta, quae nobis probare videntur, illita esse duella.

### PARS TERTIA

DE

### ARGUMENTIS EORVM, QUI DVELLORVM PATROCINIVM SVSCEPERVNT.

§. 32.

**N**ihil profecto magis aequum dici potest; quam quod dicitur in proverbio, *audi et alteram partem*; praesertim in nostra hac disputatione, cum ea, quae a duellorum patronis iis objiciuntur, quae a nobis disputata sunt, adeo sunt speciosa, ut decipient magis, quam uvae, quas pinxit fertur APELLES. His enim deciebat tantum aves, illis vero decipientur saepe homines. Verumtamen, cum non omnes illorum objectiones ejusdem sunt momenti, eas tantum, quae nobis videntur praecipuae, quaeque numero

mero tres sunt, parte hac postrema et ingenue proferemus, et,  
quantum in nobis est, refutabimus.

§. 33.

Et primum quidem contrariae sententiae patroni, *etiam si, in-*  
*quiunt, non negamus, jus naturae improbare duella, adeoque duella esse*  
*malum; malum tamen necessarium esse putamus, partim quod sanari non*  
*possit, partim quoque quod sine duellis nulla fere esset in animis militum for-*  
*titudo, sine qua bella turpiter gererentur, et patria frustra defenderetur.*  
Ad hanc objectionem, quae duplex est, dupliciter quoque a no-  
bis respondebitur, postquam antea in genere observatum est, nul-  
lum malum necessarium esse posse, quod jus naturae condemnat.  
Qui enim Deus, qui legum naturae est auctor, (§. 25.) velle pos-  
fit, ut aliquid non faciamus, quod, eodem Deo volente, necessa-  
rio faciendum esset, adeo ut non facere non possimus? Haec  
enim contraria sunt, et non vtrumque, sed alterutrum tantum ve-  
rum esse potest. Quocirca vel jus naturae improbat duella nece-  
ssare est, vel duella non sint malum necessarium; sed verum est pri-  
us, ut supra argumentis demonstravimus, ergo falsum est poste-  
rius, i. e. ergo duella non sunt malum necessarium. — Sed hoc in  
genere.

§. 34.

Quod igitur ad primum attinet: qui malum esse insanabile  
defendunt, parum, animi naturam sibi esse cognitam, ostendunt.  
Is enim, qui duellum committit, vel felicitatem suam promovere  
studet, vel aliquid a se propellere, quod felicitati noxiun esse  
censet. Hoc vero dum putat, errat; sed ita tamen, ut erroris

D 3

con-

convinci possit. Namque sanae mentis nemo tam est hebes, vt non possit intelligere, duella felicitati ipsius magis obesse, quam prodeesse. Ergo hoc malum est sanabile. Convictus enim erroris non magis potest duelum inire, quam lanx librae, cui pondus gravius sit impositum, non praeponderare. Etenim ea est animi nostri natura, vt, nisi in errore veretur, quod sibi prodest nefario appetat, quod vero nocet averetur.

## §. 35.

Deinde experientia ipsa quoque docet, non insanabilem esse animi hunc morbum. Namque magna pars hominum, quae paucis ante seculis, injuria affecta, armis se ipsa vindicaverunt, nunc alia, eaque legibus praescripta, via jus suum persequitur. Oculos enim conscientias quaeso in monachos, quibus, et si olim non sine provocatione eos offendisse, (§. 15.) nunc vero orta controversia ne in mentem quidem veniat, illam dirimere armis. Hanc animi perturbationem cum monachi moderari potuerunt, quid nobiles non possint, qui illis multo se putent praestantiores? — Ipsi quoque principes, quamquam a duellis quondam non erant alieni, hodie autem, quod nuper etiam magna cum laude omnium bonorum vidimus, frustra ad duellum provocantur. Falsa igitur illorum est opinio, qui hoc malum insanabile esse censem; haud pauci enim, qui animi hoc morbo laborarunt, sanati sunt, et ab esse ad posse valet consequentia.

## §. 36.

Quod ad alteram objectionis partem, qua defenditur, nullam fere in animis militum sine duellis fore fortitudinem; statim observandum est, eam probare et plus et minus, quam illi volunt, qui ea utun-

vtuntur. *Plus*: sic enim duella non tantum militum ducibus permitti deberent, verum vnicuique militi gregario; nam vtrisque opus est fortitudine. *Minus*: quia hac ratione militibus tantum essent licita duella, reliquis vero nobilibus aliisque non item.

Abunde quoque docet experientia atque historia, hanc objectionem levis esse momenti. Multi enim sunt viri fortissimi, quamquam duella nunquam inierunt. Possem instar omnium fortissimum totius Europae principem appellare, qui duellis profecto ad hanc fortitudinem et gloriam non adscendit. Quid? Graeci et Romani nonne adeo fuerunt fortes, ut similis virtutis exempla in historia recentiori paucia tantum reperiantur? Nihilominus adeo iis duella fuerunt incognita, ut illorum lingua hujus criminis etiam nomen desit.

§. 37.

Sed vt in ipsam hujus objectionis arcem invadamus, primo ostendere conabimur, timidos duellis non fieri vere fortes, nec vere fortes fortiores; deinde duella, et quae inde oritur duellorum libido, in bellis esse perniciosissima.

Timidorum duplex est genus. Alii enim, sive quod infirmum ac debile corpus a natura acceperint, sive qualcumque aliam ob causam, adeo sunt timidi et anxi, manentque per omnem vitae cursum, ut Aethiopem lavares, si hos fortes reddere instiuitis. Merito igitur, neque etiam dissentientibus adversariis, hujus generis timidos duellis reddi posse fortes ac strenuos negamus.

Alterum timidorum genus est eorum, qui tales sunt non necessitate quadam naturae, sed aut delicata nimis et molliori edu-

catio-

catione; aut familiari cum iis consuetudine, qui animum virilem, etiam in puerō conspicuum, suffocare magis et extingue studeat, quam excitare; aut forte aliam ob caussam, talem tamen, vnde sit perspicuum, timorum animis inhaerere magis, quam corporibus. Hos posse duellis ex animis expellere timorem, praecipue si feliciter pugnaverint, experientia hoc docente, negare non audemus.

Sed etiamsi sumamus, veram esse, quae inde oritur, fortitudinem; justum tamen esse ac licitum offerre vel oblatum accipere duellum, eo tantum consilio, ut hoc modo fortitudinem adipiscamur, hoc nemo vir honestus vnuquam concesserit. Illud enim nihil aliud est, quam sui commodi caussa nocere alteri, quo nihil tertius esse potest, nihil minus in republica tolerandum. Si enim, ut praecclare ait Cicero (de off. III. 5.) sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum violet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem. Ut, si vnumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membra validitudinem ad se traduxisset, debilitari ac interire totum corpus necesse est.

### §. 38.

Postremo id ipsum, quod modo dedimus, nunc negamus, nempe duellantess esse fortes; imo sunt temerarii. Fortis enim est, qui non timet subire pericula, hoc quidem consilio, ut magnum nanciscatur bonum, quod verisimiliter consequetur, quandoque faciliori via obtinere non potest. Temerarius vero is est, qui quidem in magna se conjicit pericula, sed ut parvum nanciscatur bonum, vel quod verisimiliter non consequetur, vel quod faci-

faciliori via obtinere potest. Isto autem modo agit duellans. — Aliquando enim duellaineuntur per jocum, ut ajunt; vel quod alteruter nescio quid dixerit, quod virum honestum nequaquam offendisset. — Plerumque quoque in scopum non collineat.  
§. 26. — Tandem injuria affectus vitae adit periculum, cum potuisset adire judicem, et sic amovere injuriam, quod nullo modo est periculosum, et virum honestum magis decet. Ergo duellans non est fortis, sed temerarius.

§. 39.

Quod ad uere fortis attingit: iis certe non assentimur, qui illos duellis fieri posse fortiores censem. Primum enim isto modo male defenduntur duella. Namque non fortis fortitudinis indigent, sed timidi. Parum utilitatis attulisset, qui invenisset, qua via divites fierent ditiores. Divitibus enim non opus est pecunia, sed pauperibus. — Deinde vero tantum abest, ut fortis fiant duellis fortiores, ut contra simul et fortis esse et inire duella ne possint quidem. Nam qui duella committunt sunt temerarii, (§. 38.) ergo et fortis essent et temerarii simul, quod fierinet quid.

Vnum tollit alterum.

§. 40.

Restat ut ostendamus, perniciosa esse in bellis cum duella, tum, quae inde oritur, duellorum cupido. Et Damnum quidem, quod inde nascitur, nobis videtur triplex.

Primum enim nihil magis verum est, nihil magis tritum, quam vetus hoc proverbium: *regis ad exemplum totus componitur orbis.* Ex quo efficitur, pestis instar fore in exercitu imperatorem, qui a duellis abstinere nesciat; nam, ut hic morbus inficit cir-

cumstantes, sic duellandi cupido, nisi prohiberetur, reliquorum statim praefectuum occuparet animos, mox etiam singulorum quorumlibet militum. Vnde sequeretur, non tantum discordiam fore inter illos, qui, nisi vnitis viribus pugnant, frustra victoriam reportare niterentur; verum etiam cladem fore in exercitu, antequam proelium esset commissum, et forsitan eos intererum iri, quorum opera et consilio, qui nunc vincuntur, viciissent.

Alterum est, quod duellantes vulgo sint audacieores, et viribus tantum opus esse ad vincendum, et forti animo sibi persuadent, non adeo prudentia et sapienti consilio. Verum hac ratione, praecipue ut hodie sunt bella, invento pulvere pyro, imperator saepe et semet ipse et exercitum suum in maximas praecipitaret calamitates. Quis nescit res gestas CAROLI XII, regis Suecorum, imperatoris sane audacissimi, sed non semper considerate agentis? Olim quidem cum ipsi duces militibus exemplo esse et praere solebant, corporis viribus, armorum peritia, quin aliquando temeritate opus erat. Hodie vero plus pollent animi vires, sapientia atque prudentia.

Tertium est, quod plerumque duellantes ita sint animo affetti, ut etiamsi prudentia hoc postulet, non possint injuriam moderate ferre. Protinus ad arma volant. Differre vindictam et opportunum exspectare tempus, nesciunt. Verum enim vero perpessio contumeliae et dissimulatio irae adeo est boni imperatoris, ut superarint saepe hostem, vel contra ab hoste superati sint; prout virtute hac bellica praediti fuerint imperatores, vel minus. Abundat historia exemplis, quae omnem hac in re dubitationem tollunt. Etenim, ut silentio praetereamus Q. FABIUM CUNICATOREM, qui cunctando, ut ait ENNIUS, Romanam restituit rem; alterum

rum appellare libet M. FABIUM, consulem Romanum, virum sapientissimum, qui, nisi, lacesitus injuria, castris se tenuisset, nunquam Vejentes, qui diu lacescendo, insultando provocandoque castra Romanorum obierant, vicisset. LIVIUS L. II. c. 45.

Ex his abunde patet, valde errare eos, qui patrocinium duellorum propterea suscepereunt, quod ex iis oriatur in animis duellantium fortitudo. Profecto isto quidem modo, ut bene habeat CICERO, (Tusc. Q. IV. 23) licet dicere, utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod et insani et ebrii multa faciunt saepe vehementius.

§. 41.

Objectio secunda. Deinde illi, quibuscum nobis disceptatio est, defendunt, plerosque principes probare, imo saepe laudare duella, non quidem aperte, sed, ne subditi ebutantur hac laudatione, clam ac tacite. Hoc dicentes subrident plerumque, quia nihil posse dici contra autumant; potest vero multum.

Nam primum, etiam si sumamus, verum esse, quod dicunt, nihilominus illicita esse duella ac turpia, adeoque non ineunda, arbitror. Si enim omne id illicitum est, quod natura vetat; ventantur autem in jure naturae duella; consequens est, eadem esse illicita. Verum autem primum, ut supra a nobis est probatum; verum et extremum. Hoc si sit verum, ut est verissimum; in viro vere honesto nihil mutationis afferre poterit, quantumvis laudet princeps duella; imo nihil, si vel iniri duellum imperasset, quippe quod nullo jure quicquam praecipere possit, quod sit naturae contrarium. Quid? si juberet facere furtum, essetne illi obediendum? Minime vero. Quidni? Quia natura vetat. Etenim princeps, qui quicquam fieri juberet, quod esset juri natu-

rae contrarium, subditos suos infelices redderet; juravit autem iusjurandum, se velle felicitatem illorum, quantum possit, promovere. Tamdiu igitur obedientiam principi praestare debemus, quamdiu ejus praceptoris salus publica promoveatur, nequaquam vero si haec iis evertatur. Quamobrem laudatissimum est XII Tabularum praceptorum: *salus populi suprema lex esto.* Est igitur officium viuiscuimus subditi, non obediens principi, cuius praceptoris praceptoris juris naturae adversantur.

*Iustum et tenacem propositi virum*

*Non civium ardor, prava jubentium,*

*Non vultus instantis tyranni*

*Mente quatinus solida.*

§. 42.

Verum id ipsum quoque vehementer dubito, quin imo cunctiam esse arbitror, nullum hodie reperiri principem, cui quidem Deus sanam mentem in fano dederit corpore, qui probat, ut illi existimant, laudatque duella. Nam si rationem quaeras, *quod saepe in duellant non animadvertis*, respondent. Inde autem, quod aliquando principes remittunt poenam (nam saepe non sit; saepe contra duellant poenis afficiuntur justissimis; saepe quoque clam ineunt duella, metu supplicii, et proinde in illos animadvertis nequit;) ex hac autem remissione, inquam, effici nequit, principes laudare duella. Grata enim beneficiorum recordatio, imo ipsa reipublicae salus exigere potest, ut a severitate legis interdum discedatur; quippe quod leges tantum spectent *delicta*, non adeo *delinquentes*, id autem haud raro sit necessarium, ut et delinquentium ratio habeatur. Quid? Si L. Iunius Brutus,

vir

vir justus, sed severus idem, postquam patriam in libertatem vindicaverat, ambobus filiis suis, Tito ac Tiberio, qui fuerant coniurationis de recipiendis regibus socii, pepercisset, quod facile, annuente populo, impetrasset; num probasse Brutum filiorum sceles inde sequatur? vid. LIVIUS L. II. c. 4. 5. — Vel populum Romanum laudasse putabis turpe Horatii facinus, qui, post victoriam domum rediens, stricto gladio transfixit sororem? Attamen populus, ut est apud eundem Livium L. I. c. 26., Horatium absolvit, non jure causae, sed admiratione virtutis.

§. 43.

At Vos, Viri Borussi, quos magni faciam, dum memor ero mei, Vos Regem Vestrum, Maximum, Optimum, Sapientissimum, non adeo ignorare potestis, vt Patrem illum patriae, quem saepe Vos summis efferentes laudibus lubenter audivi, alium suspicemini esse coram populo improbantem duella, alium in palatio eadem approbantem. Qualis enim Regis sit de duellis sententia et vera mens, cum aliunde dilucide appetet, tum in primis ex epistola, scripta quondam ad STIL. Cujus epistolae verbis, quae illam assumptionem probant, si disputationem hanc ornavero, quaeso, ne arrogantiae et vanitatis me accusetis.

*Le véritable honneur tient un milieu prudent;*

*Il n'a point de faiblesse et n'est jamais ardent;*

*Ajuré de son coeur et maître de lui-même,*

*Ce n'est pas un vain nom mais la vertu qu'il aime.*

*Mais si le point d'honneur cause d'autres effets,*

*S'il produit des débats, des meurtres, des forfaits,*

*Sa vertu disparaît et c'est scélérateſſe.*

Cet excès perd souvent l'indocile jeunesse;  
 Au violent courroux prompte à s'abandonner,  
 Elle est sur un seul mot prête à s'affligner.  
 L'honneur est dans sa bouche, et pleine d'arrogance,  
 De ce nom respecté décorant sa vengeance,  
 Et ne distinguant point dans son aveuglement  
 L'ennemi de l'ami, l'étranger du parent,  
 Elle court s'égorgier sans avoir l'âme noire,  
 Et pense par le crime arriver à la gloire.

Les premiers mouvements doivent se pardonner,  
 L'impétueux courroux ne peut se gouverner;  
 Mais lorsque de sang froid, sans haine, sans colère,  
 Un préjugé cruel, que le monde révere,  
 Pour sauver leur honneur oblige deux amis  
 De combattre en champ clos comme des ennemis;  
 Qui ne déplorerait qu'un caprice bizarre  
 Imposé à l'honneur même une loi si barbare!

Sont - ce des insensés, sont - ce des furieux  
 Que ces vengeurs cruels d'un honneur odieux?  
 Non c'est un peuple doux, généreux, magnanime,  
 Qu'un préjugé funeste entraîne dans le crime,  
 Qui du ciel partagé d'une rare valeur,  
 En pervertit l'usage et la change en fureur.

Arrêtez, malheureux! Ayez l'âme attendrie,  
 Votre sang est trop pur, trop cher à la patrie,  
 N'en couvrez point la terre, ou vous vitez le jour.

## §. 44.

Tandem quoque sunt, qui celebre illud edictum Electorale-  
Brandenburgicum contra duella, editum denuo 1713, minus re-  
ete interpretentur, sive quod male intelligent (licet non sit obscu-  
rum vel ambiguum) sive quod non legerint, sed fando tantum de  
eo audiverint. Etsi enim non negant, illud edictum vetare duel-  
la, implicite tamen eadem in illo esse jussa censem, quia praeci-  
pit: *ne quis patienter ferat injuriam*. Profecto unum et alterum di-  
citur; sed male concluditur: ergo confugiendum est ad duellum. Nam-  
que praeter duellum etiam aliae patent satisfactionis viae, quae  
expressis quoque verbis in isto edicto sunt indicatae. Dicitur  
enim: *injuria affectus, si sit miles, adeat forum militare; si sit civis, ci-  
vile*; et sic in reliquis. Vidd. istius edicti Titt. 2. 4. 6. 11.

## §. 45.

Veniamus nunc ad objectionem tertiam, eamque postremam,  
atque omnium certe gravissimam. Defensores scil. duellorum hac  
tandem ratione causam suam dicunt. *Qui duellum alteri non obtulerit,*  
*cum offerre secundum leges, et agunt, honoris debuisset, vel oblatum*  
*duellum non acceperit, iisdem legibus id vetantibus; illum nihil manent,*  
*nisi dedecus et paupertas. Familiares enim et amici, quorum consuetudine*  
*antea veteretur, nunc ipsum fugiunt non tantum, verum etiam dicterunt*  
*et convicii vexant exigitantque, ut, quibus antea fungeretur, ab-  
dicare honoribus misere coactus, ad incitas tandem paupertatemque se vi-  
deat redactum turpissimum. Haec autem mala cum evitasset, si iniisset du-  
ellum; sequitur, consideratius esse, si leges honoris velint, inire duellum,*  
*quam evitare. Mala enim, quae sequuntur duella, non sunt tan-  
ta; et sapientis est, ex duobus malis propositis eligere minus.*

## §. 46.

Speciosa sane objectio est, at minime sincera. Ergo ad sensio-  
nem paulisper cohibus quaeſo. Mala enim, quae illum manent,  
qui duellum inire negat, nimis aucta sunt et multiplicata; atque  
hoc primum est, quod a nobis ostendetur.

Quod igitur attinet ad dedecus, nisi opinioneſ ad feramus praे-  
judicatas, profeſto illud non tantum videri potest, quantum illi dicte-  
rant. Multi enim ſunt, quorum mores ſunt adeo corrupti; et qui ani-  
mo ſunt tam abjecto, vt famam et existimationem, diu perditam, non  
iterum amittere poffint. Contra alii ſunt viri optimi, quorum hone-  
ſta vita ratio, et ſpectati mores adeo ſunt omnibus cogniti, probati,  
laudati, vt, etiamſi oblatum duellum non accipient, eadem tamen illos  
bona existimatio, eaedemque prosequantur laudes. — Sed fortaffe  
quispiaſ dixerit: *fac virum bonum vitam agens occultam; is certe provoca-*  
*tus dedecus effugere nequit, niſi provocationem accipiat.* — Poterit tamen  
omnia convicia et maledicta, omnemque injuriam a ſe avertere; iſta  
enim quo minus fiant, prohibent leges. Et, ſi quoque damus, veterum  
amicorum familiaritatē tolli, eo tamen minor erit illa jactura, quo  
major fit morum et opinionum diverſitas. Nec quoque putemus, o-  
mni hominum ſocietate illum quaſi eſſe ejectum; amicitiam enim jun-  
gere poterit cum generofi et excelsi animi hominibus, quibus non  
modo non inviſiſ, ſed eam ipſam ob cauſam erit carior.

Deinde verbum quoque de paupertate eſt dicendum, quae, vt  
ajunt, illos manet, qui data occaſione duellum inire recuſant, quoni-  
am muneribus abdicare coguntur. Et ſtatiq; quidem animadverten-  
dum eſt, multos eſſe, qui duelliſ ſint dediti, et ſi nullum munus publi-  
cum adminiſtrent, et haud ſcio an ea ſit duellantium pars major. Ple-  
rique enim, qui duelliſ ſe abſtinere neſciunt, juvenes ſunt, quibus ob-  
aetatem

aetatem munera nondum committi solent. Quocirca ridiculum foret, si illi hac excusatione vterentur. — Deinde etiam ii excipiendi sunt, qui in umeribus funguntur civilibus; quippe qui, licet non accipient duella, non adeo vexantur, vt munera sua deponere necesse habent. — Quamobrem militum duntaxat restat ordo, nec is vero omnis, sed tantum fere illi, qui occasionem nondum sunt naeti, strenuum fortemque animum suum probandi, et proinde timiditatis ergo duellum non iniisse censemur; vel qui, si ludibrio habeanrur, par pari referre vel nolunt, vel non possunt.

Sed quorsum haec omnia? Vt intelligatur, admodum paucos tantum hac duellorum defensione vt posse, dum ea vtautur, omnes.

§. 47.

Porro et aliud in ea objectione ineft vitium, quod equidem primarium esse censeo. Tantum enim abeft, vt mala, quae ex accepto duello orientur, sint minora, quemadmodum illi defendunt, quam quae ex negato; vt contra, si quod verum est ingenue profiteri velimus, illa his multo esse majora fateamur oportet. Quis enim non videt, qui, quae supra, parte secunda, a nobis disputata sunt, sine praecudicio legerit, si possent vtraque mala lancibus imponi, et corporum instar ponderari; mala, quae nascuntur ex duellis, valde esse praeponderatura. Ex quo efficitur, quoniam sapientis est, ex duabus malis propositis eligere minus, a duellis esse abstinentendum.

§. 48.

Sed oportet, vt hanc difficultatem distinctius persequamur, atque evidenter majori ostendamus, ista mala, quae ex patratis orientur duellis, esse iis majora, quae ex negatis. Et mala quidem duplicitis sunt generis; vel enim ita comparata sunt, vt in ipso animo sint sita, qualia

F

sunt

funt *ignorantia, vitia, aliaque*; vel ita, vt extra animum, vt *paupertas, ignominia*. Illa dicuntur *mala interna*, haec *externa*. Iam vero illa mala, quae inde nascuntur, quod quis duellum inire nolit, sunt tantum externa; etenim paupertatem inde et ignominiam nasci, quae sunt mala externa, ipsi fatentur adversarii (§. 45.). Mala contra, quae ex patratis duellis oriuntur, partim quoque sunt interna; duellans enim peccat; cum autem ex repetitis peccatis oriuntur vitia, ex duellis oriri vitia necesse est; vitia vero cum sint mala interna, quae ipsum inficiant atque corrumptan animum, sequitur ex duellis nasci mala interna. Mala autem interna quoniam externis sunt majora, quod mox a nobis ostendetur, et quoniam sapientis est ex duobus malis propositis eligere minus; consequens est, inire duella verare rationem, siquidem ex duellis oritur malum majus.

Nunc igitur ostendemus, mala interna externis esse majora. — Hoc tamen ante precor, vt ea hic in memoriam redigantur, quae a nobis §. 46. sunt dicta; ista nimurum mala, quae, vt adversariorum plerique defendunt, omnes prosequantur duellant, prosequi tantum paucissimos — Iam vero triplicem ob rationem mala interna esse majora probare conabor.

Prima est, quod, si temporis spatia comparemus, quo utraque mala durent, diuturniora multo esse mala interna quam externa, fateamur sit necesse. Externa enim cum ipsa morte evanescunt, imo saepissime ante mortem. Ita Aristides, cum decem annorum exilio ab Atheniensibus esset multatus, quod tam cupide elaborasset, vt praeter caeteros *justus* appellaretur, sexto jam anno quam erat expulsus, restitutus, et majori etiam est honore affectus, quam erat antea. Interna vero mala nos sequuntur non modo per omnem hanc vitam, verum etiam post mortem. Non diffiteor equidem, posse quoque animum,

vitiis corruptum ac depravatum, restitui in integrum. Sed illud tamen inde efficitur, ut eam ipsam ob rem serius ad eam perfectiōnem pervenire possimus, ad quam pervenire nobis licuisset, nisi hac restituzione opus fuisset. Atque hoc sensu haec mala esse sempiterna quis non viderit.

Secunda est, quod mala interna ita sint comparata, ut ea intueri nequeamus, quin tristitia ac dolore nos afficiant, eoque majori, quo magis sit culpa in nobis metuens ipsis. Mala vero externa, siquidem sape re coeperimus, tranquilla nobis ac quieta mente contemplari liceat; praecipue si sine nostra culpa, vel etiam propterea ea patiamur, quod officio deesse noluerimus. Hinc tanta animi alacritate vita excessit Socrates, vir vere magnus.

Mala tandem interna, vitia et illicita ignorantia, saepissime homines reddunt pejores. Ratio est, quod ex ignorantia nascuntur errores, ex erroribus vero (illiciter scil.) vitia; ergo illicita ignorantia parit vitia. Mala vero externa plerumque mali tantum speciem praesentur, cum sint revera optima animis nostris medicina. Qua propter egregie FRANCISUS BACO (serm. Fid. VI. de rebus aduersis) habet virtus, inquit, simile quiddam adoramentis quibusdam, quae fragrantissima sunt, aut incensa, aut tusa; namque fortuna adversa hominum potissimum indicat virtutes.

Ex his abunde effici possem, mala interna externis esse majora.

§. 49.

Militibus tandem, qui jure quodam majori hac objectione uti vindentur, jure quoque majori quam caeteris ita responderi posse arbitror: alienissimum esse a viro vere forti timere mala externa tum, cum vetat officium; adeoque illos omnium minime oportere, quo-

niam

niam fortis et esse et haberi volunt, inire duella, eo consilio, ut mala externa a se avertant. Verae enim fortitudinis proprium est, officio imperante, nil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandnm putare. Nam, ut verissime ait CICERO, (off. iii. 33.) qui dolorem summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum laborumque contentio?

## §. 50.

Tandem denique de opprobrio, quod patiuntur ii, qui, praecipiant licet leges honoris, duellum inire nolunt, sive, quod eodem redit, de laude dicam, quam consequuntur duellant, quae sit ejus causa et origo. Nam profecto, ex nos latente causa, valde mirari debemus, vnde tantum crimen tot invenerit, ex inveniat etiam nunc laudatores. — Duellum scil. actio est non simplex, sed composita, et ex multis aliis actionibus quasi concreta. Non tantum enim est duellum neglectus officii ex aspernatio legum, verum etiam contentio periculorum; quae postrema actio, quamquam non vera, est tamen similitudo quaedam et species fortitudinis, in quam solam oculos intendens vulgus praeter modum laudibus effert duellant. Quod item, ut praecclare ait CICERO, (Off. iii. 3.) in portatibus et picturis vnu venit, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quae laudanda non sunt, ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignoros, qui iidem, quid in unaquaque re vitti sit, nequeunt judicare.

FINIS

Halle, Diss., 1786/87



Sb.

vdB





SPECIMEN PHILOSOPHICVM  
IN AVGVRALE  
DE  
**D V E L L O,**  
QVOD  
EX DECRETO  
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE  
**FRIDERICO AVGVSTO WOLF,**  
ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSORE PVBL. ORDIN.  
ET FACVLATATISP HILIOSOPHICAE H. T. DECANO  
SPECTATISSIMO,  
PRO  
SVMMIS IN PHILOSOPHIA ET AA. LL.  
HONORIBVS,  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
**A'HASSVERVS DOYER,**  
ZWOLLA - BATAVVS.  
AD DIEM VIII. APRILIS MDCCCLXXXVI.  
H. L. Q. S.

---

HALAE  
IN OFFICINA GRVNERTIANA.